NONNULLA AD FEBRIS SCARLATINAE HISTORIAM EIQUE SIMILIUM EXANTHEMATUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICO-MEDICA

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA VIADRINA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE IV. M. APRIL. MDCCCLX
PALAM DEFENDET

AUCTOR
LUDOVICUS SCHIFTAN,
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

LUDOVICUS MECKAUER, MED. ET CHIR. DR.
BERNHARDUS GORDAN, MED. ET CHIR. CAND.

VRATISLAVIAE
TYPIS LEOPOLDI FREUND.
MDCCCLX.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, CELEBERRIMO

ARMINIO LEBERT,

MED. ET CHIR. DR., UNIVERS. VIADRINAE VRATISLAV. PROF. P. O. Et SCHOLAE CLINICAE MEDIC. MODERATORI, COMMISS. REG. AD EXAMIN. MED. DELEGATAE SOCIO, LEG. HONOR. EQUITI, SOCIETATUM LITERARUM COMPLURIUM SODALI ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

EGREGIE DE SE MERITO SUMMEQUE VENERANDO

PARENTIBUS OPTIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Historia medicinae, quippe quae majora appeteret, quam chronicam tantum subtilitatem, nostris est orta temporibus. Quae quamquam demonstrat, etiamsi ipsum philosophiae studium decenniorum modo praeteritorum nunc fere evanuerit, aliis tamen in disciplinis animum perscrutandi philosophicum non desiderari. Curtii Sprengelii, Heckerii, Haeserii, Henschelii, primo in ordine fulgent. Summa adhibita diligentia et indagatione ostenderunt, quomodo iterum atque iterum rami progerminarent ex arbore essentiae pathologicae, morbos novos una cum magnis terrestribus casibus et factis tempestatis mutationibus, gravibus progredientis cultus humani momentis apparuisse demonstrat. Ita factum est, ut tanti in universum visus aperirentur, ut eorum magnitudo animuum humanum opprimeret, nisi eum vis earum rerum, quae jam sunt expertae atque cognitae, ad res novas inquirendas impelleret. Commutationes rerum quum physicarum tum psychicarum et ad animi cultus pertinentium inter sese sunt conjunctae, quum illae saepe ad vitam et animi et rei publicae, hae ad morborum genera valerent. Constat enim, actionem animi humani cum morborum implicatione cohaerere. Liceat igitur nos speremus, fore, ut scientia quondam exsistat, quae phaenomena animi et corporis conjungat et utraque in communes ipsorum terrestres et coelestes caussas reducens nos accurate edoceat, qualis sit conjunctio, quae intercedit inter hominis et terrae evolutionem. Sed justo sum longior. Ac multa quidem in materiem effecta, at multo majora etiam sunt efficienda. Fontes vero ii, qui sunt praesto, quum sint manci nec unus om-

nibus et praesidiis et adjumentis hujus doctrinae exstructus esse possit, sequitur, ut ad finem sublimem, qaem proposuimus fere nunquam prope accedatur. Quid vero ego possum, qui plane sim tiro, quem adjuvet neque experientia neque scientia necessariarum huc pertinentium disciplinarum neque multa lectio innumerabilium illorum fontium, quid ego praestare possum? Compilationem tantum observationum quarundam singularum e doctorum virorum libris dispersarum, lector ut benignus operam diligentiamque cognoscat.

Anatomia et physiologia novae diagnosis specialis exactitas effecta est, studia tamen auctorum jamjam apparent, quae in communiorem morborum specialium perceptionem spectant. Morborum vero reductio in sanguinis et nervorum anomalias disciplinis adjutricibus progressis omniumque diagnosium institutio ex iis, spes plane incerta habenda non sit. Revertamur igitur ad generalem perceptionem, quam quidem apud veteres invenimus qualemque eam apud eos fuisse necesse est, tamen haec ipsa hac in re, complures perscrutaţiones gravissimas effecit. Dum enim multa symptomata ex iis, quae tum erant sententiis accuratissime exponebantur, exanthemata pro nihilo habebantur eorumque formatio mirum vero in modum negligebatur, quod quidem demonstrat, discrimina non ita fuisse magna.

Jam omissis chronicis exanthematibus antiquissimis, quae in Scriptura Sacra reperiuntur, omissis maxime variis leprae formis, in veterum scriptis haud magna nobis praebetur materia historiae ad exanthemata acuta spectantis. Ac certe quidem ad exitum non perveneris, in quo acquiescas, si quidem eadem metiri velles aestimatione, qua acriter et subtiliter expressas formas aevi novi, et veterum exanthemata. Atqui hodie quoque in epidemia exanthematica formas tam varias, symptomata generalia saepius tam imperfecte expressa invenimus (veluti scarlatinam sine exanthemate) ita ut diagnosis tantum ortu intercurrente efficiatur. Quamobrem dubitare non licet, jam antiquitate exstitisse atque in aspectum venisse epidemica illa signa et conditiones, quales nunc dispersos

casus illos, quos dixi, inaequales efficiunt. Quippe exanthema unus tantum ex multis, quamvis gravissimis, locis, quo commune cogitur virus, quorum quidem locorum cohaerentia antagonistica cum aliis cum ipsum aut augere aut minuere potest. Hic vero esset campus, in quo arbitrium huc et illuc peragrans, phantasmata splendida petens latius ideas sine basi construeret, quam quod nobis permissum esse posset.

Jam vero constat veteres de paucis modo exanthematibus memoriae tradere resque proditas sic incompletas aliamque alii similem ut ratione habita diligentis illae observationis medicorum, inprimis Hippocratis, quam aliis locis aliisque temporibus semper adhibent „dubitare summo possimus jure, utrum morbi tam accurate et certe distincti tunc apparuerint, necne?“ Ut enim ex chao et rudi indigestaque rerum mole singulae mundi partes sese formarunt atque se composuerunt, sic ex protoexanthemate haec varia, quae nostris exstant temporibus orta sunt exanthemata.

Quae ut demonstremus, gravissima eorum nostrae aetatis acutorum exanthematum symptomata praemittere nos necesse est, quae hic in censum veniant, variolas dico, morbillos, scarlatinam, rubeolas.

Variolae igitur in periculosissimo decursu proprias praebent pustulas, in prodromo antecedente vehementi febri duarum usque sex dierum, sub magnis capitis doloribus, affectis omnibus membranis mucosis nec tamen tantopere quantopere in morbillis et scarlatina. Illi anim rubras efficiunt maculas easdemque celsiores, organorum respirationis membranam mucosam afficiunt ita quidem, ut et oculi ipsi sint affecti, quamvis caeterum prognosis satis sit fausta. Scarlatina vero e numero morborum periculosissimorum et malitiosissimorum exanthema rosatum nobis praebet, affectum imprimis pharyngis membranarum mucosarum, capitis vehementem gravitatem immo vero deliria, peculiarem desquamationem et ex scarlatina maxime prodeuntes morbos, veluti hydropem anasarcam, aurium tarditatem. Ac rubeolae quidem exanthema afferunt minus proprium, simile roseolae vel irregularibus erythe-

matibus et decursum lenissimum. Quas saepissime temporibus, quibus simul scarlatina et morbilli grassantur exsistentes formas esse inter duos morbos trangressionis puto. Omnibus igitur his, quos dixi, morbis exanthema et membranarum mucosarum affectio communis est; primum vero, ex quo caetera nascebantur variolae simile fuisse videtur etiamsi magna et symptomatum cum modificatione et decursus, id quod ex scriptis medicorum aevi medii apparet, quum ii variolam eadem qua morbillos curabant ratione. Nusquam periculum variolarum nunc tam grave commemoratum invenimus, nusquam a cicatricibus remanentes tam foedas difformitates, quae si ita adfuissent, certe non essent omissae. Alias morbillis multis in scriptis decursus tam periculosus tribuebatur, qualem in scarlatina quidem nunc invenimus, quod jam nomen ipsum immo vero demonstrat, quod Sennertio auctore ab Italiae incolis accepisse dicuntur: il morbo enim in specie pestilentiam dicebant, morbillos, periculo ad eam prope accedentes, parvam pestilentiam id est morbillos.

Variolae auctore Sennerto ita dictae[1]) quod cutis colorem variant vel quod parvos demonstrant varos quinto demum p. Chr. nat. saeculo certe inveniuntur. Ex vetere testamento locus tantum ille שְׁחִין אֲבַעְבֻּעֹת פֹּרֵחַ Schechin ababüoth Poreach in Septuaginta per ἕλκη φλυκτίδες, a Luthero per „böse schwarze Blattern“ translatus, hic referatur[2]). Moorii sententiam, ex qua jam anno millesimo quingentesimo a. Chr. nat. variolas in China notas fuisse et jam anno millesimo centesimo vicesimo secundo librum „Teou — tschiu — fa id est „Herzenstractat von den Pockeu“ conscriptum esse putat, Pearson refutat, eo quod monstrat ex aliis chinesicis apparere operibus variolas septimo demum p. Chr. n. saeculo esse animadversas.

In Susrutas Ayurvedas auctore Hesslario ex duobus tantum locis variolarum similis morbus suspicandus est; hisunt: „Igne quasi combusti tumores febriles a sanguine bileque orti alicubi aut ubique in corpore commemorati pustulae sunt“. —

---

1) Dan. Sennerti opera Tom. V. De febribus, lib. IV, cap. XII. 2) Mos. II, 9.

„Aestu et febre affectae maculae et pustulae flavidae in membris et ore intus dignoscendae sunt.“[1])

Multo jam difficilior conjectura est elementi variolarum similis in pestilentia attica secundo belli peloponnesiaci anno (430 u. 429), quam Thucydides, quamvis sit hujusce rei plane rudis, tam praeclare describit.[2]). Typhi forma, exanthematicae simillima, auctore Heckerio speciei, quae jam evanuit, pertinens, cum variolis conjuncta tunc grassata fuisse videtur. Quam variolarum similem fuisse, Linderius, Krausius, Darembergius, Littré opinantur.[3])

Eble in opere suo aptissimo (Tabella simul grassantium epidemiarum) frequentem typhorum coincidentiam cum variolis, aliarum epidemiarum absentiam eo qnidem tempore annotavit, quo illa quae dixi, grassantur, id quod Thucydides quoque aperte commemorat, ita ut hanc sententiam proponere nullo modo dubitare possimus. Nihil fere est, quod desit variolarum perfectae imagini, totius cutis rubor, quae saepius ad ulcera augetur, prurigo per totum corpus effusa, quae ne momentum quidem aegrotum quiescere patitur ita nt ad insaniam fere adducatur, oculorum affectio, denique eorum amissio. Gangraena partium extremarum et pudendarum (*αἰδοία*), quae saepissime accedebat, aliena ex medicorum cura, ut Thucydides ipse tradit et qua ex caussa inflammatione proserpente forte sit derivanda. Quam epidemiam scarlatinam intelligere, auctore Malfatti[4]) locum non habet. Hahnius Willanius, Krausius contra Woodvillium, Moorium, Schnurrerium sententiam occupabant, ita quidem ut jam veteres variolas cognitas habuissent. Res multo accuratiores Philo Judaicus[5]) refert. Subito enim, tradit, exanthemata exsistere aegrotorum, cum phlyctaenis pure impletis; molestiis et doloribus, suppurationibus et inflammationibus vexatorum magis etiam animum cruciari quam corpus, quum sit confectum aerumnis; visum anim unum ulcus, quod a capite us-

---

1) Susrutas AyurAedas ed. Hessler Erlangen 1844. I p. 197. 198. 2) Thucydides de bello Peloponnesiaco lib. VIII, hist 2, c. 49. 3) D'Aremberg in Prus Rapport sur la peste et les quarantaines II. 233. Littré oeuvres d'Hippocrate V. 68. 4) Journal f. pract. Heilkunde Bd. XII, St. 3, S. 120. 5) Philo Jud., Vita mos. I, c. 22.

que ad pedes porrigatur, ulceribus in omnibus corporis partibus ad unum se conformantibus.

Magni huic quaestioni porro momenti pestilentia est quam dicunt Antonini, quae erat anno centesimo sexagesimo quinto et a Galeno diligentissime descripta[1]). Tradit enim nono die exanthema, toto corpore valde stipatum, nigrum, in plerisque pustularum simile, in omnibus vero aridum (ἐξανθήματα μέλανα τοῖς πλειστοῖς μὲν ἑλκώδη, πᾶσι δὲ ξηρά) exanthema fuisse suppurativum, nec tamen liquorem effundi; crusta remota contenti pustulae reliquias resiccatas fuisse visas; praeterea vehementes catarrhos ipsasque inflammationes membranarum mucosarum tractus cibarii conspicua fuisse.

Galenus symptomata supra dicta numero, dicit, tantum capitali morborum esse, multas modificationes exanthematis e rubore erysipelatoso progressi affuisse, variam ceterarum symptomatum vicissitudinem, ita ut in epidemiae diuturnitate primum hoc loco morbillos et scarlatinam ex variolis natos exstitisse suspicari possimus. Nec non dysenteria vel typhus saepissime cum variolis conjuncti defuisse videntur.

Pestilentiam variolarum similiorem refert Herodotus, imperatore Trajano, pneumaticae scholae adscriptus. Initio enim febrium non simplicium sed vitiosa sanguinis krasi effectarum toto in corpore maculas, quae similes sint pulicum puncturarum apparere. In febribus vero malignis ac pestilentibus exanthema in ulcerationem transire; nonnulla anthracis fieri similia; malignissimas esse efflorescentias in facie. Quae exanthemata saepe quoque febres malignas sequi, plerumque etiam subitam animi defectionem.

---

1) Galen., Method. med. Lib. V, c. 12.
„ „ „ „ „ „ 367.
„ De atra bile cap. IV.
„ De simpl. medic. temp. et facult. lib. IX, cap. 1, sect. 4.
„ De praesagitione ex pulsibus lib. III, cap. 4.
„ Comment IV. in Hippocratis aphorismos 31.
„ „ III. „ libr. III, epid aphor. 57.
„ „ I. „ libr. VI, epid. aphor. 29.

Patres ecclesiatici Eusebius Cedrenus Nicephorus Callistus describunt epidemiam, quae fuerat Diocletiano et Galerio imperatoribus anno trecentesimo secundo. Eusebius[1]) dicit: „Imbres, quamquam soliti hiemales justum camporum fructum effecerant, subito tamen ortae sunt praeter omnem opinionem annonae caritas et praeter eam pestilentia (λιμὸς καὶ λοιμὸς) et alius cujusdam morbi malum. Fuit enim ulcus, quod propter ardorem quendam vehementissimum anthrax nominabatur, se difiundens non solum per totum corpus aegrotisque pericula magna efficiens, verum etiam et id quidem praecipue innumerabiles viros, mulieres, liberos oculorum luminibus privans.“ Promotis definitionis latius finibus, quoque hoc loco Eusebii epidemiam variolarum similem extremis quamvis lineis quasi adumbratam intelligas. Ex iis igitur, quae supra diximus, verisimillimum est, veteres jam variolarum habuisse cognitionem.

Sine omni dubio oculis sese opponunt variolae sexto demum saeculo in Arabum scriptis. Massudi medio saeculo decimo, Ebn Doreid et secundum Bruce El Hamisy variolas in bello, quod dicunt elephanticum anno quingentesimo septuagesimo altero erupisse narrant. Avium turbam, ajunt, advenisse, quae calculos in Abreha regis exercitum, Kaaba obsidentem, conjecerit. Gelal majores fuisse, ait, calculos, quam lentes et in unoquoque nomen interficiendi scriptum fuisse. Quam rem quamquam Sprengelius variolarum allegoriam esse intellexit, Chladni tamen in Gilberti Annalibus tom. 53, pag. 93 et Schweiggerius in additamentis ad chemicam et physicam scientiam tom 4, pag. 4 aerolithos fuisse dicunt.

Eodem tempore Marius Aventicensis in Franco-Gallia grassatam pestilentiam commemorat, quae et ab eo et ab aliis, pusulae pustulae, morbus dysentericus cum pusulis, lues cum vesicis, morbus cum profluvio ventris, variolae appellantur. Hoc quoque loco semper apparens intestinorum affectus forte typhi complicationem monstrat, qualem et in aliis antiquitatis epidemiis invenimus.

Gregorius Turonensis anno quingentesimo octogesimo epidemiam pustularum commemorat malarum quae ultima crudelitate

1) Eusebius, Hist. eccles. IX, 8.

in liberos praecipue saeviebat. Sprengelius ex Gregorii illius libris narrat, reginam Burgundiae Austrigildiam variolas absumptam fuisse, eamque medicis neglectionem crimini dedisse, et a conjuge poposcisse, ut post ipsius mortem capite damnarentur, id quod revera factum est.

Quibus in narrationibus exanthematis variolarum novitas nusquam est commemorata, ut inde quoque priorum saeculorum illarum cognitio apparere videatur. Ex eo quod diximus temporis momento variolae saepissime epidemice in lucem prodeunt atque ita notae fiunt, ut decimo saeculo auctore Krausio monasterii Gallensis monarchi ex sanguinis aegroti odore impendentem praenuntiarent epidemiae adventum.

Attamen jam tunc numerus variolarum quid mutatarum inprimis in morbillos et cognatas formas augetur. Haeserius quaestionibus in suis historico-pathologicis Gregorii Turonensis locum tradit: Hist. Franc. Lib. VI. c. 14. „Magna igitur eo anno lues in populo fuit; valetudines variae, milinae cum pusulis et vesicis, quae multum populum affecerunt morte."

Scriptores arabici primi exanthema tum similium numerum a variolis diligenter discernunt. Primus Ahrun, sacerdos Alexandrinus, qui antiquissimum Arabum librum medicinum scripsit, Pauli Aeginensis aequalis, in libro, quae Pandectae nominantur de variolis et morbillis refert, cujus libri relinquiae sunt paucae, quem Naserdschawach ebn Dschaldschal Barensis ex Graeca in Syriacam transtulit linguam; nonnulas hujus scripti partes Rhazes nobis conservavit.

Muhammed Ebn Secharjah Abu Bekr Arrasi, notus sub nomine „Rhazes" dissertatione sua de variolis et morbillis se clarum fecit. Tria enim secernit exanthematis genera „Dschudari, Hhasbah, Hhumak". Curtius Sprengelius ad Batemanni explicationem morborum cutaneorum practica morbillos, ait, apud Arabes sub nomine Hhasbah apparere, variolas Dschudari nominari et rubeolas Hhamikah. Avicenna, Rhazes, Mesue,[1]) Hhasbah nullum efficere pus

1) Avicenna, can. lib. IV, I.
" Rhazes cont. lib. XVIII, c. 8.
" Mesue opp. f. 346.

disertissime dicunt, gravissimam excitare tussim et plurimam lacrymarum secretionem, supra cutem ea non tolli, elabi, et soluta multas relinquere cicatrices, negant immo vel transitum Hhasbah in Dschudari. Hhumak interpretatio est incerta. Hali Abbas vesiculis miliariis discernit a morbillis, Avicenna inter Dschudari et Hhasbah ponit, ut igitur, morbilli rubeolae miliaria, quin etiam varicellae sint habenda.

Abu Dschafar Achmed ben Ibrahim quoque, medicus arabicus, qui circa finem saeculi undecimi vixit de variolis et morbillis in viatico suo scripsit. Cujus scripti interpretatio per Synesium medicum Graecum, imperatore Manuele Comneno, ad nostram permansit aetatem, quo Dschudari *ψλυκταινούσην λοιμικὴν* et Hhasbah *ἑτέραν λεπτὴν καὶ πυκνὴν, λοιμικὴν* appellat. Sub priori significatione sine dubio variolae intelligendae sunt, sub minori et solidiori (contraria qualitati variolarum vesiculosae) *λοιμική* seu Hhasbah morbillique Arabistarum latinorum.

Cognationis notitia variolae cum morbillis apud Arabes jam e communi tractatu amborum exanthematum elucet. Abdel-Malek Abu Mervan Ebn Zohr, dictus Avenzoar Sevillensis, utrique caussam aequalem tribuit. Sennertus exacte hujus Arabum opinionis mentionem facit: „Caussam proximam variolarum et morbillorum in immunditiem a primo ortu in sanguine relictam ex sanguine materno referunt, quem menstruum vocant, quo foetus in matris utero alatur. Quamquam enim foetus in utero matris quod optimum est ex sanguine pro alimento attrahit, tamen fieri non potest, quin aliquid impuri praesertim mensibus posterioribus, ubi copiosiore alimento opus habet, simul attrahat. Relicta illa labes in corpore tamdui delitescit, donec quacunque de caussa impulsa vim suam tanquam fermentum in universum sanguinis massam effundat.

Rhazes sanguinem puerorum et infantum musto comparat, in quo natura quum adhuc depuratus non sit, elaborare et purgare intendens in eo ebullitionem excitat, per quam partes heterogeneae

ab homogeneis separentur; quoniam vero sanguis primus necessario ex statu impuriore in puriorem transire debeat, necesse sit, quique homo variolis et morbillis obnoxius sit."

Huic Arabum sententiae Gentilis de Fulginco sese opposuit: 1) quod foetus in utero optimo et purissimo sanguine utatur, 2) quod variolis et morbillis non solum infantes et pueri sed juvenes immo aetate confecti et senes laborent, in quibus tamdiu materiam illam et labem in corpore latuisse potuisse impossibile sit 3) quod feminae quibus menses supprimuntur his morbis non laborent.

A septimo saeculo morbilli etiamsi non in magna extensione certe tamen saepius et magis puri apparent, dum nono saeculo una ex saepissime conspicuis formis fit epidemicis. Nonnullae illis temporibus grassantes pestilentiae angina maligna, aliae typhi petechialis modificationes sint intelligendae. Nec non leviores epidemiae, periculositate cum morbillis minime comparandae saepe exstiterunt, „pestis quasi et tussis descriptae". Sunt hae epidemiae influencae, quas Schnurer exacte in opere suo composuit. Morbilli vero quam abnoxii fuisse debuerint, ex his apud Haeserum commemoratis Arabistarum locis, quos Gruner collexit, apparet. Apud Grunerum Antonius de Gradis pag. 63 dicit: Signa variolarum et morbillorum sunt febris conclusa acutae caliditatis, pruritus narium, gravitas capitis, rubedo oculorum, cum pulsatione in temporibus et fronte, timor in somno. Et omnia haec accidentia sunt intensiora in morbillis, quam in variolis, quia fiunt de materia magis adusta, in oculis tamen magis accidunt variolae, quam morbilli: Widmann dicit apud Grunerum pag. 91: „Ut Rhazes dicit in divisionibus, accidentia sunt fortiora in principio morbillorum, puta, major angustia, fortior caliditas et febris scilicet, et major dolor major rubedo faciei, et major instantia vigiliarum, attamen erit dolor dorsi remissior et minor, quia materia est paucior, quam in variolis ut vult Avicenna. Porro dicit Widmann l. c. pag. 92: „In morbillo tamen est major timor corrosionis membrorum principalium et suffocationis, quam in variolis, et sunt accidentia de febre et reliquis fortiora."

In variolis curandis partim e morborum theoreticis definitionibus, plerumque vero ex diligenti naturae observatione egressi sunt ita quidem ut et novi aevi therapia antiquiorum temporum medicorum eam probarent. In stadio prodromorum recommendant omnes in robustis succidis hominibus venaesectionem leniterque aperientia medicamina. Rhazes simplicissima therapia usus, in communibus casibus diaetetica medicamina solum adhibens primo in stadio frigidam aquam bibi, balinearum vaporationes adhiberi jubet, cautum vero medicaminum purgantium usum. Post exanthematis apparitionem acidulos potus praebebant calidumque statum suadebant. Ad celerius proferendum exanthema Joannes Anglicus Gaddesden scribit: „Deinde capiatur scarletum rubrum, et involvatur variolosus totaliter vel in panno alio rubro sicut ego feci de filio nobilissimi regis Angliae quando patiebatur istos morbos — et feci omnia circa lectum esse rubra. Omnes medici ad deformandas cicatrices vitandas pustulas minime eas in facie et in manibus pluribus acu aureo puncturis aperire leniterque premendo expellere suadebant. Gentilis de Fulginco immo pustularum apicum decisionem recommendat. Diaeta roborans minus deformantes cicatrices efficit.

Mirum vero est hoc carmen „e flore medicinae scholae Salerni, ex quo jam undecimo et duodecimo saeculo variolarum inoculationem exercitam esse apparere videtur:

„Ne pariant teneris variolae funera natis
„Illorum venis variolis mitte salubres.
„Seu potius morbi contagia tangere vitent
„Aegrum aegrique halitus, velamina, lintea vestes
„Ipseque quae tetigit male pura corpora dextra.“

Historice per tempora, ut cognoscebantur, variolas et morbillos persecutus, solumque paucis morbis, qui forte huc attinere possint, inventis, pariter mihihistoriam scarlatinae inprimis commemoratos dubios locos respicienti explicare proposui. Videre in morbillis praeter exanthema organorum respirationis affectum iisque partium vicinarum sic insignem possis, ut auctores hoc in uno

symptomate haerentes alicubi morbillos statuerent, alienatio haec in historice perscrutanda scarlatina nobis occurit, dico inflammationem pharyngis. Ipsa in scarlatina in tot minime insignium, obscurarum formarum apparitione, quibus modo hoc symptoma generale, modo illud abfuit, caussa a progresso ex pharyngis affectu, alicubi scarlatinae observandae visa est. Immo Malfatti, quam supra dixi, Thucydidis pestem in scarlatinam attinere putavit, solum ob pharyngis affectionem, dum cutis magnus calor, exanthema erysipelatosum, omissis morbis qui consequi solent, aberant.

Auctores jam e pharyngi tide egressos scarlatinam cum multis aliis morbis confundere necesse fuit ut cum angina maligna (Garotillo), angina membranacea (Croup), localibus vel generalibus caussis in collo ortis ulceribus. Redeamus vero ad antiquos.

J. Frankius et M. Readius nostrum morbum jam in Hippocratis scriptis in venire voluerunt, his locis adnisi:

„Ab angina detento tumorem fieri foris in collo bonum est, foras enim morbus vertitur[1]).“

„Ab angina detento tumor et rubor in pectore accedens bonum[2]).“

„Ulcera tonsillarum in infantibus periculosa, ulcera proserpentia circa fauces graviora et magis acuta, ut plurimum spirandi difficultatem inducunt[3]).“

„Angina illa, quae apud Aristonem erat primum a lingua cepit. Vox non clara, lingua rubra resiccata fuit. Prima die, horrida, incaluit. Tertia, rigor febris acuta, tumor subruber, durus colli et pectoris ex utraque parte; extremitates frigidae, lividae. Spiritus sublimis; potus per nares fundebatur, deglutire non poterat; alvi secessus et urinae supressa erant. Quarta omnia exacerbata sunt. Mortua est anginosa[4]).“

Omnia quae relata, in quibus minime grave exanthema parca extensione commemoratur, vehementem solum colli affectum

---

1) Aphorism. lib 17, aphorism. 37. 2) Apherism. lib. 17, aphorism. 48. 3) De Dentitione sect. 8. 4) De morb. popul. lib. III, sect. 2, 7.

demonstrant, quae quaque ex alia caussa ac viri scarlatinosi orta omnino easdem apparitiones efficiat necesse est. Tibi ex locali affectione egresso angina maligna, quae postea sub nomine Garotillo in Hispania grassabatur, intelligenda est.

Johnstone in Celsi scriptis passum in scarlatinam attinentem, invenire vult. „In interiore vero faucium parte interdum exulceratio esse consuevit[1])"; attamen Celsus in ampliore enarratione ad curandum hoc malum corporis motus (ut ire, currere saltare) adhibendos esse tradit. Qui morbus simplex angina catarrhalis fuisse videtur. Aetius[2]) passum Herodoti Pneumatici nobis tradit, quem Bateman scarlatinam intellexit; quum vero exanthema elevatum, in ulcerationem transiens narratur, hoc variolas putaverim.

Jam gravior locus Caelii Aureliani Siccensis[3]): „Morbus cum salivatione cum subdolente faucium sensu et asperitate aggreditur; inflammatio supra linguam magna cum transvorandi et respirandi difficultate sese extendit, collum et vultus tument; oculi sanguinolenti prominent; pulsus celer est et tensus. Lividus tandem vultus, vox interclusa, gutturis et pectoris stridor, apud alios caninus vocis sonitus, pulsus defectio praecedunt morti;" praeterea inflammationis erysipelatosae (ignis sacer) in collo et pectore mentionem facit. Quod modo excerpsi satis accurate in scarlatinam pertineat, relatum tamen mancius est quin pleno jure scarlatinam statuere possimus; porro non intelligi potest, num morbus epidemicus esset inprimisque juvenes caperet, an non.

Jam pervenimus ad Aretaeum Cappadocem, cujus relatum multas dissussiones provocavit[4]):

„Ulcera in tonsillis alia fiunt mitia, alia necantia. Pestifera sunt lata, cava pinguia quodam concreto humore aut livido aut nigro sordentia. Nuncupantur ἄφθαι. Qui quidem affectus si altius descenderit, eschara vocatur. Crustam circumveniunt rubor excellens et inflammatio et venarum dolor quemadmodum in car-

1) De medic. lib. IV, cap. 9. 2) Aet. Tetrab. 2, sect. 1, cap. 129. 3) Cael. Aurel. lib. III, cap. 2 u. 4. 4) Aretaeus, de morbis acutis, lib. I, cap. 9.

bunculo et exiguae rarae pustulae oriuntur, hisque aliae supervenientes in unum coalescunt et latum ulcus efficitur. Interius serpens columellam exedit et gingivas et alveolos. In collum phlegmone erupit et paucis diebus febre et foetore consumti intereunt. Pueri usque ad pubertatem, puellae usque ad menstruationis tempus hoc morbo tentantur, praecipue quum multum frigidi aëris inspirant. Aegyptus horum affectuum est foecunda, unde Aegyptiaca et Syriaca ulcera appellantur. Dolor est acer, spiritus aegroti exhalans vitiatos, pallida his seu livida facies, febris acuta, ut igne accensi videantur.“ Quae quidem explicatio omnino pestilentiae relatis convenit, quae initio saeculi septi decimi in meridionali Europa, Garotillo appellata, enumerabiles homines necabat. Morbum quem modo dixi saepe eundem esse ac scarlatinam multis medicis putantibus, nonnulli non dubitarunt, quin et Aretaei pestilentiae scarlatinam subintellegerent, quamquam morbis consequi solitis omissis, exanthema extensum non commemoratur.

Aetius Amidanus medio sexto saeculo, archiater Byzantinus comitisque obsequii ordine usus maxime vehementes colli affectiones tradit, quae „crustosa at pestilentia tonsillarum ulcera“ appellatae pueros atque puellas inprimis ceperit, adultis vero omnino non pepercerit; amplius ruborem in genio, febrin vehementissimam jamque saepe primo hebdomate agressam mortem narrat. Gütschow dicit: „In omnibus his descriptionibus peculiaris typhi species agnoscitur, in onmibus rubores modo sub finem morbi effloruerunt, quod inito tantum fit in febribus exanthematicis. Gütschow et Willan ad id quod morbus plerumque juvenes capiat adnisi, scarlatinam habent.

Jam supra, Avicennam de peculiari exanthemate, quae morbillis et variolis minus periculosum fuisset, retulisse commemoravi: „Alhamica significat a Plinio dictam plantam betam,“ cujus color rubori scarlatinoso respondeat.

Forte majore jure narratio Rhazis in scarlatinam minime rubeolam, quae in evolutione historica priori antecessisse videtur,

pertineat. Dicit enim, Hhamikah tertio die demum apparentia non supra cutem elevata tumorem efficere erysipelatoden.

Ali Abbas cognomine Magici affectus, Musae discipulus, tradit in opere suo[1]) locum, qui plurium confusionum caussa fieri debuit: „Species est aliqua quae vocatur rubeola, quae ex sanguine fit calido et subtili non multum malo. Et haec species, quum ad statum pervenerit, similis fit milii granis, aut paullo major et ejus color rubens; nec aperiuntur pustulae, neque fluunt. Communia signa sunt febris, faciei tumor, temporum et auricularum prurigo, in naso inflammatio, rubor in facie et in membris affectis, capitis gravitas et in gurgulione asperitas. Qui locus convenit, exanthemate milii granis simili excepto omnino speciei scarlatinae nam si Gütschow locum commemoratum ad morbillos pertinere opinatur, respiciendum est, Ali immo Hhamikah (rubeolas) ab Dschudari et Hhasbah (id est ab variolis et morbillis ut supra demonstravi) distinxisse, necesse esse morbillos cognoverit.

Quibus ex omnibus relatis elucet auctoribus ante saeculum quartum decimum scarlatinam febrim notam fuisse, non exacte demonstrari posse, attamen his temporibus nonnullas febri scarlatinae simillimas morborum formas grassatas esse putamus neque impossibile est, conditiones quae aevi novi initio scarlatinam protulerunt aliquamdiu etsi raro, jam antea in singularibus hominibus convenisse.

Céterum antequam febris scarlatina pleno jure in historia invenitur, varias morborum formas plurimas videre possis, simillimas scarlatinae et tamen in singulis rebus ab ea differentes. Quae semper semperque cumulantur usque febris scarlatina ipsa denique in omnibus symptomatibus ei, quae et nunc grassatur, conveniens, nobis occurrit. Relinquamus igitur medium aevum et in novum ab anteriore non solum gravibus rebus politicis et inventis sed etiam novis morborum formis separatum intremus. Jóhannes Ingrassias Neapolitensis, anatomiae professor ut multi

1) Theor. lib. VIII, cap. 14, f. 56.

medici putant primus est, qui febrim scarlatinam exacte descripserit. In opere suo[1]) haec scribit. „Praeter ambas species alias adhuc duas passim venire conspeximus, quarum altera nuper a vulgaribus rossania sive rossalia vocatur, alteram vero crystallos vocant. Illam idcirco rossaliam nuncupant, quoniam maculae per universum corpus plurimae, magnae et parvae, ignitae et rubrae, cum vix effatu digni tumore, instar multa seorsim erysipelata, dispersae sunt, ut totum corpus ignitum appareat. Nonnulli sunt qui morbillos idem cum rossalia existimant; nos autem saepe distinctos esse effectus nostrismet oculis, non aliorum dumtaxat relationi confidentes inspeximus“. Morbos, qui febrim scarlatinam consequi solent, omittamus, tamen affectionem pharyngis desideremus; quod non mirabile est, quum Sennertus et Döringius quos scarlatinam observasse nemo dubitat, minime inflammationem pharyngis commemorant. Qua ex re elucere videtur tunc febrem scarlatinam lenissimo decursu usam esse. Similem, tamen non ita convenientem Prosper Martianus morbum describit, quem etiam nomine Rossaliae seu Rossaniae afficit. Quibus in relatis Fuchs[2]) solum formam urticariae propriam Italiae videt, Hecker,[3]) sit venia verbo Germanico, Masernrötheln.

Jam medio saeculo quarto decimo Gentilis de Folignanus epidemiam narrat, quae ab eo malum rosatum appellata Rossaliae non erat dissimilis: „sicut malum rosatum; et est infectio cutis ac si folia rosarum rubrarum essent sparsa supra cutim: vel quae vulgariter dicitur gespium, et est infectio cutis latior, quam illa quae immediate, et minor, quam malum rosatum.“ Forestus tres observationes vehementis anginae purpurae appellatae nobis tradit, quas ad scarlatinam non pertinere nunc omnes auctores conveniunt! Praeterea idem sub finem saeculi sexti decimi rubeolae epidemiam commemorat, quam Reich scarlatinam putat. Hieme anni 1574 Ballonius Parisiensis professor[4]) epidemiam tradit, quam Most et Willan scarlatinam credunt: Quum hiems 1574 u. 1575 austrina

---

1) De Tumor. praet. natur. cap. 1, pag. 194. 2) Fuchs, histor. Untersuchungen S. 23. 3) Hecker, Gesch. der neuern Heilkunde S. 217. 4) Epidem. et ephemer. lib. I, pag. 36.

fuisset, morbillorum, variolarum, exanthematum et rubiolarum magna copia erat. Aucto calore rubeolae per universum corpus prorumpunt, neque tamen formicantes. Signa sunt febris modo mitis, modo acerrima, jactatio et inquietudo, propensio ad somnum et alia omnibus exanthematibus communia. Pathognomica sunt oculorum ardor et flagrantia, tussis et raucedo. Malum praesertim superiores colli partes appetit; pulmones et arteria aspera facile patiuntur. Unde uvulae inflammatio multis et deglutiendi difficultas aliquando faucium exulcerationes; alias angina quaedam sicca per erysipelatodem phlogosin, suffocatio inde. Multis et parotides comites, et praecedunt et sequuntur, quae non sunt semper metuendae. A capite, sunt dolores in oculo profundi, oculorum dolor et flagrantia, propensio in somnum et tamen dormiendi impotentia, immo et coryza, et aurium dolor, siccitas in gutture, implacabilis sitis cum anorexia.“ Qua in descriptione omnia signa in scarlatinae epidemiam vel minime, quum in universum tunc variolae et morbilli grassarentur, intercurrentem attineant. Pariter Johannes Coyttarus Poitensis hunc morbum describit. Porro Henricus Smet Heidelbergensis eodem fere tempore ac Bellonius unicum aegrotum scarlatina affectum, Winandium Zosium, observavit, quam ob rem hoc relatum non multum valet.

Ut supra dixi, febris scarlatina saepissime cum aliis morbis qui et pharyngis affectionem offerunt commutata est inprimis cum Garotillo et Angina membranacea. Arctaei, Cappadocis, Archigenis, Aetii scriptis, in quibus plures auctores vestigia Garotillonis invenerunt, omissis, in ejus vehementem grassationem in meridionali Europae initio saeculi septimi decimi, solum commemoro, id anno 1616 in Hispania a Ludovico Mercato, anno 1618 a Francisco Nola Neapoli observatum esse. Symptomata breviter dicta sunt: angina, rubor et colli et pharyngis, immobilitas colli, difficultas respirandi et deglutiendi, foetor ex ore, inflammatio pharyngis tonsillarum saepe oris interni totius, febris vehemens cum magno ardore. Aliquamdiu maculae parvae ut a pulicum puncturis effectae in cute apparent; secundo die intumescentia colli nig-

rities oris et pharyngis, crustarum formatio in ore naribusque promiscue cum parvis ulceribus. Mors saepe jam primo die aggressa aegrotos subito hoc malo captos est. Mercatus late morbum non simplicem anginam catarrhalem seu inflammatoriam fuisse demonstrat. Per multos annos Garotillo Hispaniam cepit. Severinus, Thomas Bartholinus, Sgambatus, Jonnes Anton Foglianus, Joannes Baptistus Cortesius, Antonius Alaymus, Thomas Broncolinus, Joannes Dominicus Prosinus, Aetius Cletus Signinus, Joannes Baptista Carnevola, Michaelis de Heredia, archiater Philippi quarti regis, Franciscus Perez Casales, Joannes de Villareal, Alfons de Fontecha, Ildefons Nunez, Christoph Perez de Herrera, Thomas de Agujar multa posteris de morbo Garotillo tradiderunt.

Most Garotillo idem esse ac scarlatina, Haeser discrepare ab ea opinatur. Caussae posterioris opinionis sunt: Angina maligna s. Garotillo, ut supra demonstravi multo antiquior morbus est. Decursus anginae malignae a scarlatina discrepat, in anteriore jam initio inflammatione pharyngis apparente. Exanthema in angina maligna minimum est nec rubori scarlatinoso respondet. In multis locis, inprimis Parisiis medio aevo praeterito scarlatina et angina maligna eodem tempore grassatae. Morbi scarlatinam consequi soliti ut peculiaris desquamatio, hydrops etc. etc. non commemorantur. Attamen maxime propinquum Garotillo esse febri scarlatinae non negandum est. Ita ex omnibus partibus ad Sennertum ducimur, etsi enim Ingrassias aliique auctores scarlatinam cognosse videntur primus est, qui morbos consequentes commemorat.

Danielus Sennertus natus anno MDLXXII Vratislaviae in opere magno suo in capite de variolis et morbillis exactam[1]) scarlatinae descriptionem, quam professor medicinae Wittenbergae observavit, tradit. Sennertus solum paucis hominibus hoc morbo laborantibus visis dubitat, quo nomine afficiat, usque cum ab Ingrassia appellata Rosssalia fere omnino convenire intelligit. Locus continens et enarrationem morbi ipius et qui morbi consequi solent, gravior est, quin totum etsi longum hic repetamus: „Praeter has

1) Tom. VI. De Febribus lib. IV, cap. XII.

differentias adhuc alia est sed rarior quidem, quam aliquoties observavi; quo nomine tamen ab illis discernerem, hactenus dubius fui. Etsi enim instar erysipelatis totum fere corpus prehendat, tamen non vidi, quod adultos quod in erysipelate fieri solet, sed infantes solum corripiat. Malo ergo ad morbillos referre et forsan malum est, quod Forestus libr. 6, observ. 59 purpuram et rubores ac ἐρυθήματα appellat, Joh. Philippus Ingrassias Rossaniam et Rossaliam a Neapolitanis nominari scribit. Maculae rubrae et quasi ignitae cum vix effatu digno tumore per universum corpus, quasi quaedam parva erysipelata erumpunt in principio, seu morbi die quarto vel quinto. In statu vero universum corpus rubrum et quasi ignitum apparet, ac si universali erysipelate laboraret. In declinatione rubor ille imminui, et maculae rubrae latae, ut in principio iterum apparent, quae tandem septimo vel nono die evanescunt, epidermide squamarum instar decidente. — Malum hoc grave et saepe lethale est. Nam calor est ferventissimus, sitis innextinguibilis et plerumque pulmonum (unde tusses excitantur) faucium et aliorum viscerum inflammationes, deliria et alia mala urgent. — In declinatione tandem materia ad articulos extremorum transfertur, ac dolorem et ruborem, ut in arthriticis, excitat; cutis, squamarum instar decidit; mox pedes ad talos et suras usque intumescunt; hypochondria laeduntur, respiratio difficilior redditur, tandemque abdomen intumescit, aegrique non sine magno labore et post longum tempus pristinae sanitati restituntur, saepe etiam moriuntur.“ Utique clara et exacta discriptio in qua auctorem non solum magna doctrina in omnibus medicinae partibus fuisse sed etiam vero Hippocratica quasi observandi facultate usum; exemplum sublime medici docti simulque practici, quod et nos aemulemur dignum.

Postquam jam ad hoc pervənimus ampliore historica persecutione epidemiarum singularum non opus est. Solum igitur accuratius Michaelin Daeringium,- qui, epidemica scarlatina Varsoviae anno MDCX observata, Vratislaviam reversus anno MDCXXV tria ab ipso „Rossalia“ appellata exempla in curationem acce-

pit, unum eorum in ipso filio germano, commemorabo. Quod traditum est in Sennerti Epistolis Medicinalibus Cent. I. epist. LXXXVIII. Qua ex re elucet, scarlatinam rariorem morbum fuisse.

Denique liceat Danieli Winkleri Bregensis, eadem igitur patria usi ac ipse, brevem mentionem facere; describit[1]) anno MDCXLII morbillorum epidemiam a communi discrepantem Bregae grassatam, quae omnino scarlatinae convenit. Haec dicit: „Morbilli ignei admodum maligni apud nos grassantes invaserunt etiam pueros: qui quidem statim de summa deglutiendi difficultate conquesti sunt, etsi nihil tumoris vel intra vel extra conspiceretur: nonnulli suffocati sunt. Hi morbilli apparuere primum apud nos anno supra dicto post obsidionem Bregensem, paullo post Lipsiae, et quod nos in pueris, illi in puerperis annotant; id quod testatur disputatione MDCLV a Welschio habita. Nomen diversum, res autem eadem.“

Ita proposito scarlatinae aliorumque ei similium exanthematum historice persequendorum confecto, mimine ad finem ducto, excusatio mihi restat errorum ac vitiorum quae viri historiae periti facile invenient, memores sitis, precor, vos tironis opusculum legere juvenile. Studium vero et amorem medicinae inprimis historiae observaveritis, omnino sum contentus.

---

1) Ephemer Nat. curios. Dec. 1. ann. 7. observ. 12.

Loco capitali Sennerti in opusculo ipso citato, epistolas duas alteram Doeringii ad Sennertum alteram Sennerti ad Doeringium his litteris mandem oporteat:

D. Danieli Sennerto
Michael Doeringius, D.

Lectiones tuas practicas, cum D. Muncero quamprimum communicabo. Habet is prae me otium. quod illis exornandis impendere poterit. S. K. qui aliquamdiu adhuc apud nos commorabitur, heri partem unam meorum Collectaneorum Practicorum utendam dedi, quam si evolverit, alius patietur. Tractatum tuum de Dysenteria nondum percurri: Faciam cum suppetet otium. Tertianarum uti et petechialium febrium, nullus apud nos adhuc finis. Ex istis tamen plures nunc, quam nuper servantur. Hoc peculiare observatum quandoque est, quod e continuis Tertianae utplurimum simplices Intermittentes factae sunt: Semina, pestilentiae nonnihil jam quiescunt. Deus porro nos tueatur. Affectus, quem „die deittelen" vocant, est utique morbillorum quaedam species, pustulis paullo elatioribus constans. Phillipus Ingrassias peculiaris adhuc specie meminit Tom I. de Tumoribus praeter naturam p. 194; quam Rossaliam vel Rossaniam a suis vocatam scripsit. Sic autem idcirco nuncupatum refert; quoniam maculae per universum corpus plurimae ac parvae, ignitae ac rubrae, cum vix effatu digno tumore, instar multorum seorsim distinctorum erysipelatum, dispersae sunt, ut totum corpus ignitum appareat. Hujus tria exempla praeterito vere mihi observata sunt: Primum in privigno (quem prae reliquis vehementuis affixit, alterum in germano filio, tertium denique, in ipsomet Dr. A. S. Invadit ad modum morbillorum, terminatur septiduo: Epidermis squamatim tandem ab praegressorum fervorum ut in Erysipelate deraditur ac decidit. Curatur ut morbilli. B. V. et a nobis salve.

Dab. Breslae, d. 25. Junii Anno 1625.

Sennerti opera. Lugduni MDCLXXVI. Tom VI. Epist. Medicin. Centur. I. Epist. LXXXVIII.

Gravi momento variolarum morbillorum scarlatinae in historiam haec est epistola Sennerti ad Doeringium:

Introductio indifferens omissa. Quae diligenter de variolis et morbillis scripsisti, grata sunt, unum saltem atque alterum adhuc addo. Primo enim mihi videris omisisse, eam Variolarum differentiam, quam nostri „Die Steinbocken" appellant, quae sunt tubercula quaedam parva sine multa sanie, sparsim nec copiose erumpentia; omnium fere mitissimae Variolae, quae paene citra febrem infantes invadunt, ut raro decumbant, citissime etiam sanentur. Deinde non mihi videtur Haly Abbas alium affectum quam vulgo notas Variolas et Morbillos descripsisse: Nam 8. Theorica, cap. 24 saltem sub Variolarum nomine facit mentionem Rubeolae Lib. I. pract. c. I. vero

Variolam et Rubeolam nominant, ubi procul dubio per Rubeolam intelligit „die Ritteln" ut descriptio satis restatur.

Rossaliam quod attinet, aliquoties etiam affectum hunc observavi, sed quo nomine appellarem dubius fui. Ad Erysipelas retulissem, et mulierculae etiam nostrae quaedam „das Rottlauff" appellant, nisi hoc obstitiset, quod non adultis sed potius infantibus accidit: vulgus ad morbillos refert, dicitque „die Masern laufen zusammen". In Historiis tuis, quae mihi gratae fuerunt, hoc primo dubii accurrit, an tussis illa et difficultas respirandi a catarrho, an potius ab inflammatione pulmonis, quod mihi vero similius videtur ortum habuerit. Deinde quod de loco sollicitus es et viis, per quas materia, e pulmonibus, et pectore fluat ad pulmones. Ego vero hoc cura opus esse non puto, sed in ea sum sententia; quem Variolae non solum in externis partibus, sed etiam in omnium viscerum superficie erumpere soleant, idem in Rossalia accidere posse.

Et de pulmonibus res extra dubium est in visceribus tamen etiam efflorescere scribit Ingrassias, et in puero hoc omentum corruptum fuit, hepar pallidum, intestina aquae innatavere. Ut credibile sit, e visceribus ventris inferioris male affectis materiam ad articulos detrudi et hinc etiam hydropem excitari. Qua ratione autem aqua illa in pulmone. et thorace generetur, omnino consideratione dignum. Ego in ea sum sententia, quum hepar et pulmo frequentissime simul afficiantur, (id quod in asthmate, ut hoc obiter addam, semper fieri puto) potest materia illa ex hepate per venam arteriosam ad pulmones derivari, vel etiam in ipso pulmone generari. Quem enim pulmo viscus sit, quod non solum pro sui nutritione alimentum coquit, sed etiam sanguinem cordi praeparat, si male habeat, in coctione illa multa excrementa et etiam serosa generari posse, credibile est. In puero tuo quum totum, etiam abdomen aqua repletum fuerit, ea procul dubio in pectus inde regurgitavit. Curationem quod attinet, sire alvi fluxus, sive paracentensis frustra sunt, si viscera non sunt salva.

Caeterum occasione morbillorum, in memoriam mihi revoco alium morbum, quem non in infantibus sed adolescentibus et virginibus etiam saepe observavi, nec tamen, quantum memini ab Autoribus descriptum inveni. Erumpunt passim in corpore, praecipue tamen in brachiis, tubercula quaedam iis simillima, quae e punctura pulicum erumpunt, cum magno pruritu prorumpunt: quae tamen post horam unam atque alteram evanescunt. Et observavi in aëre calido ea disparere, in frigido emergere, quod forsan accidit, quia aër frigidos poros claudit ne materia insensibiliter transpirare possit. Si a quodam descripta ista tubercula legisti, me de eo mone, et simul quid de generatione et curatione sentias scribe. Finis epistolae non adhuc pertinet.

Wittebergae, die 10. Jul. Anno 1628.

Sennerti opera, Lugd. MDCLXXVI. Tom VI. Epist. Medic. Centur II. Epist. XX.

VITA.

Natus sum Ludovicus Schiftan, fidei veteri addictus, Idibus Novembr. anni h. s. XXXVII Bregae. Primis litterarum elementis imbutus adii gymnasium tunc sub auspiciis illustr. beat. Matthissonis florens. Maturitatis testimonio instructus hanc almam litterarum Universitatem Viadrinam petii et ab Ill. Betschler, rectore h. t. magnifico receptus sum atque apud Decanum gratiosi Medicorum Ordinis maxime spectabilem Frerichs nomen dedi.

Per quadriennium disserentes audivi viros illustrissimos, celeberrimos experientissimos: Aubert, Barkow, Benedict, Betschler, Braniss, Cohn, Finkenstein, Förster, Frankenheim, Frerichs, Göppert, Grosser, Grube, beat. Günsburg, Heidenhain, Klopsch, Lebert, Lewald, Löwig, Middeldorpf, Paul, Reichert, Ruehle.

In exercitationibus anatomicis, Ill. Barkow, in physiologicis Ill. Reichert et Cel. Aubert; in clinico et policlinico medico Ill. Frerichs, Lebert, Ruehle; in clinico et policlinico chirurgico-ophtalmiatrico Ill. Middeldorpf, in policlinico medico Ill. Ruehle, in cursibus practicis diagnosticis Cel. Cohn duces mihi fuerunt, benevolentissimi atque excellentissimi.

In excercitationibus clinicis et policlinicis benignissime me adjuverunt Experient. DD. Cohn, Freund, Joseph, Langer, Marmé, Radermacher, Ressel, Stark, Valentiner, Weidner.

Tentaminibus vero et philosophico et medico nec non examine rigoroso superatis, spero fore ut dissertatione rite defensa summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Theses defendendae.

1. Foetum vivum perforare licet.
2. Cultura ad mutandas morborum formas plurimum valet.
3. Medicamina specifica non sunt.
4. Ovarii exstirpatio plane est rejicienda.